





185.

12.

1682 13a

M

DA DOMINE INCREMENTUM!
 DISSERTATIO INAUGURALIS
 De
CAPACITATE CIVI-
TATUM MUNICIPALIUM
 JURISDICTIONIS ECCLESIA-
 STICÆ,
 EAMQUE ACQVIRENDI MODIS,
 ex
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
 permisu,
 IN ALMA ALTDORFINA
 d. 23. Jun. Ann. M. DC. LXXXII.
 publicæ examinationi submissa
 à
JOHANNE PETRO HENRICI,
 Budisâ - Lusatô.

Z

21

Literis HENRICI MEYERI,
 Univerfit. Typogr.



INCLYTÆ REIPUBLICÆ
BUDISSINENSIS

DNNNN.

CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORIBUS,
ET
SENATORIBUS,

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
ET PRUDENTISSIMIS,

*Dominis, Patronis, Promotoribus
& Mæcenatibus Suis,
obsequiosissimâ animi observantiâ etatem de venerandis,*

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

in debitæ gratitudinis tesseram & promptissimi
obsequii argumentum

devotissimâ manu offert & consecrat

JOHANNES PETRUS HENRICI.





DA DOMINE INCREMENTUM!

Præloqvium.

Maxima de verò Juris circa Sacra Subjectò agi-
 tatur contro-versia. Sanè (1) ex Pontificis,
 illud solum Papam esse, statuunt unò ore o-
 mnes, plenâ ei, virtute vicarii muneris, quod
 ipsi à Christo in omnem Ecclesiam commissum
 esse asserunt, Ecclesiam gubernandi, & doctri-
 nam fidei Christianæ cum aliis ad cultum di-
 vinum pertinenti-
 bus ordinandi, deq; religionis negotiò inter omnes omninò Chri-
 stianos decernendi potestate tributâ, ne Regibus quidem &
 Principibus ab ipsius Hierarchiâ exemptis, sed si Ecclesiæ rem
 non satis rectè curâsse, ejus-ve commodis obstitisse videantur,
 omni dignitate privandis. Recedunt paululum ab his, qui (2)
 Curam Sacrorum Pontifici & Episcopis simul adscribunt.
 Quæ sententia est Pontificem Romanum Episcoporum Conci-
 lio subjicientium, aut nonnisi Concilii caput agnoscentium.
 Alii (3) ex Protestantibus suam de potestate sacrâ Ecclesiæ
 Ministris aut Pastoribus relinquendâ opinionem, Genevæ
 primum exortam, passim disseminarunt, eâq; plurimam in An-
 gliâ Puritanismo occasionem dederunt. Vid. Seculi nostri
 Polyhist. Celeberr. B. Dn. Conring. cujus mortem meri-
 to quisq; luget, in Dissert. de Majest. Civil. autor. circa
 Sacr. th. 25. seq. Excellent. Dn. D. Gind / Patronus &
 Studiorum meorum Promotor ætatem devenerandus
 in elegant. Diss. de For. Immed. Imp. Protest. in caus. ma-



trimon. præloq. pag. 5. *Mea equidem jam non est unius-
cujusq; causarum discussio. Putarim tamen rectissimè pote-
statem circa Sacra Majestati Civili à Nostratibus vindicari.*
*Vid. latiff. Marcus Anton. de Domin. Archi-Episc. Spa-
lat. de Republ. Eccles. tit. 6. c. 4. 5. & 6. Burgold. in No-
tit. Imper. p. 2. discurs. 17. n. 2. Bœckelmann. in Diff.*
Inaugur. medit. 1. axiom. 5. Excell. Dn. D. Marsmann.
Syndic. Reipubl. patriæ optimè merent. Patronus meus
*colendiff. in Diff. de Jurisd. Ecclesiast. Witteberg. ha-
bit. part. gener. Mœller. in Diff. de Jur. Stat. Imper.*
*circà Sacra, Francofurt. habit. cap. 1. Postliminiò quasi er-
gò, quæ jam olim ipsis competierat, eam Principes Augusta-
næ Confessioni addicti recuperârunt, suspensâ per Pacif. Re-
ligios. de ann. 1555. Catholicorum Ecclesiasticâ Jurisdi-
dione. Exinde de iis quidem nullum, maximum tamen de*
*Civitatibus Municipalibus, num Jurisdictionis Eccle-
siasticæ capaces sint, remansit dubium. Cujus inquisitio*
*cùm non tam necessaria, quàm maximè quoquè utilis esse pos-
sit; hinc eam Disputationis Inauguralis locò pro ratione in-
genii impræsentiarum suscipere, eiquè ad finem perductæ mo-
dos Jurisdictionem Ecclesiasticam acquirendi, Civitatibus*
competentes, subjicere constitui. Ceterùm, uti in nomine
*Domini nostri JESU CHRISTI ad omnia consilia, omnesq;
actus, si ex votò cedere velis, progrediendum, l. 2. pr. C.*
de offic. Præf. Prætor. Afr. c. cùm Paulus. l.
qu. 1. ita in eòdem præsentem Disputationem
ordior FELICITER!



THESIS I.

Inquisiturus itaq; in Capacitatem Civitatum Municipalium Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Ejusq; acquirendæ modos, de vocabulorum incunabulis nimium sollicitus non ero, labore illô jamdudum tam à celeberrimis Jctis, quàm Lexicographis præoccupatô, quem jam huc transferre, meumve facere nec vacat, nec lubet.

II. Pariter lite de ambigûâ convenientiq; & antiquis temporibus & Aristotelis linguæ, cui tamen multi mihi contrâ ejus opinionem aliquid affingere videntur, vocabulorum Civitatis Municipalis acceptione aliis relicta, vid. *Stwandschneider Diff. Inaug. de Liber. S. R. Imp. Civit. mens. Januar. 1676. Jen. habit. sect. I.* illud saltem noto, iis nominibus nobis significari Urbes Augustanæ Confessionis, quæ Statibus Imperii parent & Imperio mediatè subsunt, earumque Magistratus. Quô ipsô statim sub limine Discursûs Civitates Imperiales exclusas volo, utpote quarum Jurisdictio Ecclesiastica omni dubiô caret, cum Status Imperii sint, Confessionis & suffragii jus in Comitibus habentes, adeoq; tam juxta *Pac. Religios. de ann. 1555. §. Nachdem aber.* quàm *Instrum. Pac. art. V. §. II.* Religionis libertate fruantur, vid. *Syring. de Pac. Relig. th. 29.* & quanquam de eâ dubitatum olim fuerit, post Pacem præsertim Monasteriensem, Superioritate Territoriali gaudeant, à quâ cum universali Jurisdictione Ecclesiastica quoq; potestas dependet. Vid. *Ming. de Superior. Territor. c. 3. concl. 42.*

III. Sequestratis similiter cæteris voculis, hoc tantum circâ Jurisdictionem Ecclesiasticam monendum duxi, quod, quamvis, quibus Status Augustanæ Confessionis Jura Episcopalia habere atq; exercere dicuntur,

à nonnullis aliquantum abusivè loqui arguantur, quasi
 genuina jura Episcopalia ex præscripto sacrarum litera-
 rum, unde omninò judicari debebant, à Christò discipu-
 lis suis concredita & in curâ animarum doctrinali & ad-
 ministratoriâ h.e. prædicatione verbi Divini, Sacramen-
 torum administratione, potestate ligandi & absolvendi
 consistant, *Matth. 16. vers. 19. cap. 18. v. 18. seq. cap. 28.*
v. 19. Marc. 16. v. 15. seq. Joh. 20. v. 21. add. Roman. 15.
v. 16. quæ tamen nunquam ab iis usurpata, quin po-
 tiùs Ecclesiæ ministris exerceri relicta ubivis deprehen-
 dantur; Excusatione tamen haud immeritò digni videan-
 tur, tanquàm stylò publicæ Imperii legi haud inconve-
 nienti usi, cum, Jurisdictione Ecclesiasticâ Catholicorum
 in *Transact. Passa-v. de ann. 1552. & Pac. Relig. de ann. 1555.*
 §. Damit auch, suspensâ, tota simul, nisi contrâ men-
 tem paciscentium infecutamq; interpretationem, maxi-
 mo libertatis religionis præjudicio, verborum cortici in-
 inhærere, causamq; adeò Catholicorum agere velis, qua-
 liumcunq; Jurium Episcopaliùm universitas generali-
 ter suspensa & ad Status Augustanæ Confessioni addi-
 ctos translata censeatur. Cur ergò Jura Episcopalia, ut-
 ut exercitium eorum non attingant, illos habere non di-
 cendum? Vid. *Cothm. vol. 4. resp. 33. n. 6. Matth. Stephan.*
de Jurisd. L. 3. p. 1. c. 15. n. 1. Zang. de Except. p. 2. c. 1. n. 117.
Merckelb. & Buxtorff. ap. Klock. Tom. 1. cons. 20. n. 334.
seqq. Dn. Carpz. JPr. Consist. L. 1. d. 2. n. 13. & L. 3. d. 2. n. 6.
seqq. Mev. p. 2. d. 305. n. 5. Dn. D. Vincz / in Tr. de Jurib.
Templor. cap. 4. n. 103. & d. Diss. de For. Immed. Imp. Prot.
sect. 1. n. 40. seqq. Potestate verò hâc, uti appellatur, in-
 ternâ penes Sacerdotes existente, nominatione Jurisdi-
 ctionis Ecclesiasticæ intelligo potestatem omnem circa
 Sacra Magistratui Politico jure divinò & humanò compe-
 tentem.

tentem. Vid. Excell. Dn. D. Marsmann. d. Diff. de Jurisd. Eccles. part. gener. §. 1. Quanquam dubitem, an ea in ul-
lâ Civitatum Municipalium tam plena reperiatur, quin
potius alia aliarum tantum amplioribus, partim angu-
stioribus terminis inclusa, nec paucis sæpius ejus parti-
bus destituta sit. Cum denominatio non tam secundum
Philosophorum, quam Juristarum quoque doctrinam
§. 2. vers. sed quotiens. J. de J. N. G. & C. l. 10. ff. de Stat.
homin. l. 27. §. 2. ff. de A. R. D. fieri debeat à potiori. Et
cui plus conceditur, is quoque minus habere possit, l. 21.
de R. I. cap. 53. eod. tit. in VI. cum hoc semper ei insit,
l. 110. de R. J. c. 35. eod. in VI. eademque partis sit ratio, quæ
est totius. l. 76. de R. V. l. 27. §. 8. de pact.

IV. An ergo Jurisdictio Ecclesiastica Civitatibus
Municipalibus competere possit, seu Num Civitates Mu-
nicipales talismodi Jurisdictionis capaces sint? quæri-
tur. Quod quidem difficilis inspectionis, primòque in-
tuitu ferè negandum videtur. Est enim (1) Jurisdictio
Ecclesiastica effectus juris territorialis. vid. Instr. Pac. art.
V. §. 12. & artic. VIII. Dn. Lindt in d. Diff. de For. Im-
med. Imp. Protest. & c. sect. 1. n. 40. Mæller. in d. Diff. de
Jur. Stat. Imp. circa Sacr. c. 2. n. 9. sqq. quò quia destituun-
tur Municipia, eà quoque ipsa destituta erunt, cum negatâ
causâ, illius quoque negetur effectus l. 6. §. 2. ff. de jur. pa-
tron. l. 32. de pact. Mev. p. 2. decis. 305. n. 8. Deinde (2)
Statibus tantum immediatis de religionis libertate, su-
spensione Jurisdictionis Ecclesiasticæ Catholicorum, per
Pacem Religiosam est prospectum. Ergo eorum sub-
diti, tanquam omitti ac nullâ apice delibati, beneficiò
ejus gaudere nequeunt, cum unius positio sit alterius
exclusio l. 12. pr. ff. de judic. Quin imò (3) Status Au-
gustanæ Confessioni addicti ipsi Civitates sibi subditas
Pacis

Pacis Religiosæ, adeoq; & Jurisdictionis Ecclesiasticæ per eandem translatae incapaces judicârunt, testibus Thomâ Merckelbach. & Gerhardô Buxtorff. *apud Klock. Tom. I. consil. 20. n. 353.* cum (4) privatorum locô habeantur, juxtâ *l. 16. ff. de V. S.* Quæ omnia quandam Civitatum nostrarum incapacitatem Jurisdictionis Ecclesiasticæ haud obscure inferre videntur.

V. Nihilominus tamen veritati magis consonam esse arbitror sententiam affirmativam. Nullibi enim (1) Civitates Municipales Jurisdictionis Ecclesiasticæ inveniuntur inhabiles; quare habiles omninò censendæ, *arg. l. 43. §. 1. ff. de procur. l. 1. §. 1. de testib. cap. 23. X. de sponsal. c. post susceptum. 30. qu. 3.* præsertim cum habitas in dubiò semper præsumatur. *cap. fin. X. de præsumt.* Quin potius (2) eas juris publici capaces esse dicit *Hermann. Vultej. Marpurg. Consil. Vol. I. cons. 16. n. 55.* cujus maxima pars cum in religionis curâ consistat *l. 1. §. 2. ff. de J. & J. vid. Merckelb. & Buxt. d. consil. 20. n. 347.* non immeritò quoq; de Jurisdictione Ecclesiasticâ affirmandum erit; cum generis expressio operetur idem, ac si singulæ species essent expressæ, genere species sub se comprehensas includente. *l. 79. ff. de legat. 3. l. 51. de admin. tutor. l. 147. de. R. J. l. 4. post pr. C. de præscr. 30 vel 40 annor.* Et cum (3) non tantum Civilem sed & Criminalem Jurisdictionem sine omni dubiò habere possint, *Vid. Matth. Stephan. Tr. de Jurisdic. L. 2. p. 2. c. 2. n. 17. sqq.* Quidni idem de Ecclesiasticâ dicamus? quoniam causæ Ecclesiasticæ Criminalibus multoties æquiparantur. *Vid. Ordin. Proc. Judic. Saxon. tit. 18. §. Wenn nun also, ibiq; Dn. Martin. n. 55. Dn. Carpz. Jpr. Consist. L. 3. d. 54. n. 12. Schneidew. ad J. de Nupt. rubr. de Sponsal. n. 29.* Accedunt (4) Experientia & quamplurima talium Civitatum exempla.

empla. Sic partim ex aliorum testimonio, partim relatione novi, Civitates Stralsundensem in Pomeraniâ, Uratislaviensem in Silesiâ, Stadensem in Bremensi & Luneburgensem in Luneburgensi Ducatibus sitas, quamvis ad unam omnes pareant Principibus, nihilominus tamen Ecclesiasticam habere jurisdictionem. Vid. *Heig. consil. 51. apud Klock. Tom. I. Meru. p. 2. d. 305. Dn. Bruneman. de Jur. Ecclesiast. Lib. 3. cap. 1. aph. 4.* Quanquam enim non exemplis sed legibus judicandum esse dicatur *l. 12. ff. de offic. Præsid. l. 13. C. de sentent. & interloc.* illud tamen saltem in re legibus certâ locum habet; in casu verò dubiô cum ipsæ aliquando leges exemplis judicare dignentur, *vid. l. 12. l. 38. ff. de LL. atq; iis æquè ac legibus quandoq; pugnari posse doceat Becmann. Medit. Politic. Diff. 13. th. 10.* pariter & hîc ex illis experimentoq; sententiæ veritas apparebit. *§. 6. J. de satisdat. c. 6. de elect. & elect. potest. in VI.* Præsertim, quoniam (5) in Camerâ Imperiali, secundum tradita *Thom. Merckelbach. & Gerhard. Buxtorff.* duorum insignium ejus Practicorum, *d. consil. 20. n. 359.* pro defensione jurium Ecclesiasticorum Civitati cuidam mediatè subjectæ competentium, adeoq; non tam illius, quàm aliarum quoq; ejus generis capacitate judicatum fuit. add. *Meru. p. 2. d. 305. n. 10.* qualia supremi Dicasterii præjudicia non solum non modicam auctoritatem obtinere, sed & vim legis habere, ab iisq; neq; ipsis Cameralibus, neq; inferioribus judicibus facile recedendum esse volunt, *arg. §. fin. J. de satisdat. Gail. l. 1. observ. 29. num. 1. & observ. 42. n. 3. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de Constit. Princip. §. 11. & ad tit. de except. §. 26. num. 2.*

VI. Nec sufficiunt infringendæ huic sententiæ rationes in contrarium adductæ. Equidem (1) diffitendum

B

dum



dum non est, Jurisdictionem Ecclesiasticam à Jure Territoriali dependere; hinc qui hoc habent, pro iis semper præsumi eorumq; de Jurisdictione intentionem in omnibus sibi subjectis provinciis adversus quosvis fundatam censerent. *Ming. Tract. d. Superior. Territor. c. 4. concl. 51. sq. Cothmann. Vol. 4. Resp. 33. n. 4. add. Merckelb. ap. Klock. Tom. I. conf. 9. n. 5. Mev. p. 2. dec. 313. n. 8.* At quemadmodum sæpius, exemplis hinc inde occurrentibus, maxima Juris Territorialis jura Domino Territorii decedunt, penesq; alios vel ex pactis vel aliâ causâ existunt, vid. *personatus ille Fürstner. eleg. Tract. de Jur. Supremat. & Legat. Princ. German. c. 10.* cum quidem non ipsa Superioritas Territorialis, benè tamen profluentia inde jura in alios transferri possint, restrictò quasi quodammodò exinde ejus exercitiò, ipsâ nihilominus salvâ manente. *Ming. d. Tract. concl. 55.* similiter quoq; Jurisdictio Ecclesiastica ab aliò, quàm ipsò Territorii Dominò haberi & possideri potest. Et cum ejus aliorumq; talium jurium Civitates quoq; Municipales capaces sint, juxta *Vultej. de Feud. L. 1. c. 5. n. 7. Merckelbach. apud Klock. Tom. I. conf. 22. n. 104. add. Matth. Steph. de Jurisd. L. 2. p. 2. c. 2. n. 24. sqq.* Hinc per se patet, assertionem illam regulariter veram esse, generalemq; pro Dominis Territorialibus militantem præsumtionem exceptionem pati, nisi alius in possessione inveniatur. *Cothmann. d. l. n. 38. cum ibid. alleg. Mev. p. 2. d. 305. n. 14.* Nec stringit (2) quasi Statibus tantum immediatis de religionis libertate prospectum sit, subditis eorum omissis, qui propterea Religiosæ Pacis beneficiò gaudere nequeant. Quamvis enim Pacificatio illa inter Status Imperii inita Principum solum & Statuum mentionem faciat, quod ex duplici causâ, tum quod in Comitibus Imperii duntaxat

taxat de Principibus aliisque Imperii Statibus tractetur, tum
 quod Principes similesve generalem totius provinciae
 omniumque ejus partium inspectionem, administratio-
 nem & jurisdictionem habeant, contigisse videtur *Coth-*
manno Vol. 4. Resp. 33. num. 40. quique eum sequuntur
Matth. Stephan. de Jurisd. L. 3. p. 1. c. 14. n. 121. & *Mevio*
p. 2. dec. 305. n. 15. non tamen exinde, Statuum subditos
 eam Pace exclusos illiusque beneficiis indignos esse, statim
 inferendum est. Siquidem Pacificatio ista Religiosa
 non tantum eorum aliquoties meminit, attributis non-
 nullis beneficiis, §. *Es soll auch.* & §. *seq.* *Wo aber unsere/*
auch der Churfürst. Fürsten und Stände Unterthanen.
Add. Syring. de Pac. Relig. th. 35. Merckelb. & Buxtorff. d.
consil. 20. n. 355. sed etiam mutuam non tam Domino-
 rum, quam subditorum quoque pacem & securitatem pro
 causa finali habet. *Recess. Imp. de ann. 1555. §. Dietweil*
auf. ibi: Daß die Stände und Unterthanen. & paulo post:
Der Stände und Unterthanen. quod verò intentioni &
 causae finali disponentium conveniens est, id in ipsa
 quoque dispositione comprehensum esse, ipsa juris ratio
 dicitur. *l. fin. ff. de hered. instit. Syring. d. l. in not. Heig. ap.*
Klock. Tom. 1. cons. 51. n. 245. sq. Quid? quod verba Reli-
 giosae Pacificationis in §. *Damit auch obberührte.* omni-
 bus Augustanae Confessioni addictis generaliter, nullam
 habitam eorum conditionis ratione, possessionem & usum
 rerum ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentium
 confirmant. Quibus sane consequens est, quibusvis, sive
 Statibus, sive subditis, quae circa Ecclesiastica occupa-
 verint, relinquenda esse. Quid ergo impedit, quod mi-
 nus Civitates quoque Municipales illam Pace debeant gau-
 dere? *Cothmann. vol. 4. resp. 33. n. 43. Heig. d. l. n. 247.*
seqq. & n. 273. seqq. Matth. Stephan. d. l. n. 120. & 122. Mev.



p.2. decis. 305. n.16. add. *Henric. Bruning. de Var. Univerj. specieb. th.20. lit.a.* Nec moveat quem (3) ipsos Principes Civitates sibi subditas dictæ Pacis incapaces æstimasse; cum iidem, Pontificiis in hõc ipsõ acriter resistentes subditis quoq; favorem & beneficia ejus competere semper propugnarint. Ut adeò in fundamentõ impugnatõ non possit collocari fundamentum. *l.8. §.14. ff. de inoffic. Test. l.40. de A. vel O. H. Merckelb. & Buxtorff. d. consil. 20. n.346. & n.354.* Pariter tandem (4) ratio ex *l.16. ff. de V.S. defumta* nihil facit, lege illâ juxtâ antiquam Romanæ Reipublicæ formam respectu populi Romani Civitates considerante, *Goedd. ad d.l.n.4.* quarum conditionem cum hodiè tam in aliis, quàm maximè in jurisdictionis causâ pleræq; Germaniæ civitates longè excesserint, hinc ab illis ad has malè ducitur argumentum. *Matth. Stephan. de Jurisd. L.2. p.2. c.2. n.8. seqq. Mev. p.2. dec.305. n.4. & p.3. dec.101. n.8.* add. *Dn. Eckolt. ad ff. tit. de Jurisd. §.1.* Quare de capacitate Civitatum Municipalium Jurisdictionis Ecclesiasticæ ambigendum non erit. Add. *Cothmann. Vol.4. Resp.33. Heig. ap. Klock. d. cons.51. Mev. p.2. dec.305. & ad Jus Lubec. quæst. prælimin. 3. n.21. seqq. Matth. Steph. d. Tr. de Jurisd. L.3. p.1. c.14. n.119. seqq. Dn. Struv. S.J. Feud. c.6. aph.17. n.6. seq. Dn. Brunnem. de Jur. Ecclesiast. L.3. c.1. aph.4.*

VII. Visâ itaq; Capacitatis quæstione, Modi Jurisdictionem Ecclesiasticam acquirendi considerandi erunt. Acquiritur autem I. per *Pri-vilegium*. Suspensâ enim per Transactionem Passaviensem, atq; insecutam Pacem Religiosam Catholicorum Jurisdictione Ecclesiasticâ & postliminidõ quasi Principibus Protestantibus restitutâ, ut denuò vigore Juris Territorialis cuiq; illorum competat, nihil vetat, quò minus hi eandem eõdem, ac Jurisdictione-

ditionem Civilem & Criminalem aliaq; jura modo aliis concedere valeant. Quocirca dubium non est de acquirenda per Privilegium Jurisdictione Ecclesiastica. *c. accedentibus. X. de excess. Pralat Henric. Bruning. Diss. de Var. Univers. spec. th. 20. lit. a. Heig. ap. Klock. d. cons. 51. num. 239. Mev. p. 2. d. 305. n. 21. Brunneman. d. loc. add. Instrum. Pac. art. V. §. 12.* quali jam ab aliquot seculis donatam esse Civitatem Stralesundensem testes sunt *Heig. d. l. n. 236. seqq. & Moell. d. Diss. de Jur. Stat. Imper. circ. sac. c. 3. num. 22. add. Mev. & Brunneman. dd. ll.* Opus tamen est in eò clarã concessæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ expressione. *Vid. Mev. p. 7. dec. 26. n. 5.* Quid verò si literæ nullã speciali mentione factã, jurisdictionem in genere concedant, an etiam concessa videatur Ecclesiastica? Videtur dicendum quod sic; quoniam jurisdictionem qui dat, omnes ejus species dare præsumitur, *arg. l. 147. de R. I. l. 4. C. de præscr. 30 vel 40 annor.* maxime quod beneficia Principis latissimè sint explicanda *l. 3. ff. de Constit. Princip. & concedens, in cujus potestate fuit, non apertioem dixerit concessionem. l. 39. ff. de pact.* *Vid. Dn. Carpz. p. 2. c. 6. d. 8.* Verumenimverò cum hodiè Jurisdictionis vox rariùs comprehendat Criminalem, nedum Ecclesiasticam, naturã ejus porrò ab aliis planè distinctã, *Dn. Carpz. Diss. Feudal. 4. th. 24. add. Eund. in JPr. For. p. 2. c. 40. d. 6. Dn. Struv. exerc. 3. th. 31.* concessionisq; obscuræ interpretatio contra concedentem facienda sit, si ejus favorem respiciat, quod tamen hic neutiquam dicendum est, *l. 39. ff. de pact. l. 21. ibiq; Gothofr. in not. lit. b. l. 34. pr. de contrah. emt.* beneficiaq; Principum latissimè capiantur in liberalitatibus, non verò privilegiis, *l. 7. C. de bon. quæ liber. Barbof. Locupl. L. II. c. 5. ax. 17. & L. XIV. c. 83. ax. 1.* Quin potius privilegium, quod multum tol-



lit ex jure communi & valdè lædit jura Superioritatis, strictam accipiat interpretationem, *Me v. p. 5. dec. 182. n. 8.* & Principes præsumantur Jurisdictionem Ecclesiasticam, tanquam rem gravissimam non facile in specie concessuri, *vid. Dn. Roman. de Feud. cap. 12. §. 1.* taliaq; generalis dispositio non comprehendat, neq; ad non verisimilia extendatur, *l. 6. ff. de pignor. l. 46. ff. de pecul. l. 1. C. quæ res pign. obl. c. 16. X. de jurejur. c. ult. de offic. Vicar. in VI.* hinc regulariter negandum erit. *add. Dn. Brunnem. Tr. de Jur. Ecclesiast. L. 3. c. 1. aph. 4.* Quod tamen non obtinebit, si Principes de concedendâ quoq; Jurisdictione Ecclesiasticâ cogitasse ex adjunctis verbis colligendum sit. *Heig. d. Consil. 51. n. 236. seqq. add. Matth. Stephan. de Jurisd. L. 1. c. 38. n. 11.* siquidem verba non tantum ex adjuncto intelligi, *l. 78. §. 1. ff. de legat. 3.* sed etiam aliquid operari debent, ne maneant sine effectu. *cap. 10. de privilegi. in VI. add. Merkelb. ap. Klock. Tom. 1. cons. 15. n. 46. sqq.* Illud expeditum, concessio Patronatus jure nihil Jurisdictionis Ecclesiasticæ, specialiter dictæ, transferri, cum illud nihil cum hæc habeat commune, *cap. 10. c. 13. X. de Jur. Patronat. Cothmann. vol. 4. Resp. 33. n. 20. Finckelthuf. de Jur. Patron. c. 6. n. 75. Dn. Carpz. JPr. Consist. L. 3. def. 110. n. 7.* à quâ Patronus planè abstinere debet. *Dn. Carpz. d. Tr. L. 1. def. 70. n. 3. Me v. p. 7. d. 26. n. 1. § 4.* Neq; parum interest, utrum privilegium illud ex causâ *lucrati- vâ*, Principe proprio motu & ex merâ liberalitate illud, ubi absq; iniquitate omitti poterat, concedente, an verò *onerosa*, seu ex contractu, ob æquipollentem fortè laborem vel meritum, quod fieri censetur, si in eò hæc habentur verba: quod ob fidelia præstita servitia aut benè merita sit datum, juxta multis probantem autoritatibus *Mynsing. dec. 7. resp. 67. n. 6. § dec. 10. resp. 98. n. 7. vid. Pufen-*

Pufendorf. L. 1. Elem. JPr. Univ. def. 5. n. 19. Barbof. Locuplet. L. XIV. c. 83. ax. 27. Civitates fuerint consecutæ. Illud enim revocabile, arg. §. 2. J. de donat. l. fin. C. de revoc. donat. hoc verò de jure annullari non posse censetur, cum non solâ dantis gratiâ & autoritate, sed ex jure Civitati ob factum ejus quæsitò dependeat. Barbof. Locuplet. d. l. cum ibid. alleg. Dn. Carpz. JPr. Consist. L. 2. def. 415. n. 1. sqq. Quanquam & illud irrevocabile fieri videatur, si sub fide & dignitate Principali detur, verbis illis inter Principes juramento æquipollentibus. Gail. L. 2. obs. 59. Mynsing. cent. 1. observ. 17. ibiq; Reyger. Dn. Carpz. p. 2. c. 16. d. 5. n. 2. Conf. Dn. Struv. ex. 17. th. 11. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de jurej. §. 9. Et in dubiò semper privilegium irrevocabiliter datum putatur. Dn. Carpz. JPr. Consist. d. l. num. 15.

II. X. II. Acquiritur Jurisdictio Ecclesiastica Præscriptione. c. auditis. 15. c. veniens. 19. X. de præscript. c. 7. de privileg. in VI. Balb. de præscript. p. 1. 5. princ. quæst. 11. num. 2. Heig. ap. Klock. d. conf. 51. n. 239. si actus ejusmodi jurisdictionales Magistratus Civitatis exerceat, possessione per exercitium illud aut prohibitionem interversâ, illòq; scienter acquiescente, l. 18. §. f. ff. quemadm. servit. amitt. Wesenb. ad ff. tit. de Jurisd. n. 14. Dn. Strauch. Diss. Justin. XX. aph. 10. sive iste Dominus territorii sit, qui per constituta Consistoria, quod hodie frequentissimum est, vid. Matth. Stephan. de Jurisd. L. 3. p. 1. c. 1. n. 31. Reink. de R. S. & Eccles. L. 3. cl. 1. c. 10. Dn. Carpzov. JPr. Conf. L. 3. d. 1. n. 7. Jurisdictionem Ecclesiasticam exercet d. c. 15. & c. 19. de præscript. Balb. d. l. quæst. 12. num. 1. & 4. Bocer. Class. 5. Diss. 10. th. 71. add. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de Jurisd. §. 4. seq. sive alius quispiam, cui aliàs præter Principem Jurisdictio Ecclesiastica in Civitate illâ competit, arg. d. d.

dd. text. nisi tali privilegiò munitus sit, quod annexam habeat clausulam decreti & contrariorum prohibiti-
 vam, cùm contra hujusmodi concessionem nulla præ-
 scriptio procedat. *Merckelb. ap. Klock. Tom. I. consil. II. n. 235. seq. Dn. Augustus Bened. Carpzov. Doctor olim in almâ Lips. meus Colendiss. in Diss. de Jur. Brax. cap. 2. §. II. n. 3. add. Schneidew. ad J. tit. de usuc. rubr. de specieb. præscript. n. 34. Barbos. Locupl. L. XIV. c. 64. ax. 20.* Sed si alius ita sit in possessione generali Jurisdictionis, tantum intelligitur præscriptum, quantum possessum; aliàs unò jurisdictionis actu præscriptò, reliqui etiam, qui ejusdem generis, præscripti videntur, *secundum Brunnem. de Jur. Eccles. L. 2. c. II. §. 9. ibiq; Dn. Stryk. §. L. 3. c. 7. §. 19. Wesenbec. d. t. n. 12. & Dn. Strauch. d. l. add. Schneidew. ad §. possidetis. J. de interd. n. 105. seq. Matth. Steph. de Jurisd. L. I. c. 38. n. 37.* Et talem cum titulò, *vid. Dn. Struv. JPr. L. II. tit. 9. aph. 12.* præscriptionem quadraginta annis compleri, *c. auditis. 15. X. de præscript. cap. 7. de privileg. in VI. add. cap. de quartâ. 4. & cap. ad aures. 6. eòd. tit. de præscript. si verò sine eò sit, tempus, cujus contrarii memoria non extat, requiri dicunt Dd. per cap. I. de præscript. in VI. Balb. d. Tr. p. I. 5. princ. qu. II. n. 2. & qu. 12. n. 4. Heig. & Bocer. dd. ll. Cothmann. vol. 4. resp. 33. n. 31.* cùm spatium tanti temporis habeatur locò tituli legitime constituti, *l. 3. §. 4. de aqu. quotid. & vim privilegii obtineat, eiq; æquiparetur c. 26. §. præterea. X. de V. S. add. Matth. Steph. d. Tr. L. I. c. 38. n. 33. seq. Schneidew. ad J. tit. de usucap. rubr. de specieb. præscript. n. 33. Dn. Carpz. p. 2. c. 3. d. 24.* Neutra tamen procedet, si notoria mala fides & improbitas manifesta resistat. *cap. fin. X. de præscr. c. 2. de R. I. in VI. Mynsing. cent. 4. obser. v. 6. Schulz. Synops. J. de Usuc. lit. c. Dn. Struv. JPr. L. II. tit. 9. aphor. 22.* Quan-
 quam

quam ex cursu tam longissimi temporis bona fides præsumatur, ut hinc malam fidem objiciens præscribenti eam debeat probare. *vid. Dn. Carpz. p. 2. c. 1. d. 7. n. 10. & const. 3. d. 7. seq. L. 1. Resp. 33. num. 12. Dn. Struv. d. 1. aph. 18.*

IX. III. Videtur Jurisdictio Ecclesiastica acquiri posse *Consuetudine. cap. 13. X. de for. compet. cum, quæ per privilegium, vel pactum, vel præscriptionem, ea etiam per consuetudinem acquiri & induci possint. c. 9. X. de offic. jud. ordin. c. 26. §. prætereà. de V. S. Barbos. Locupl. L. III. c. 59. ax. 15. 17. seq. Mynsing. c. 4. obs. 24. add. Wesenb. ad ff. tit. de Jurisd. num. 9. Matth. Steph. de Jurisd. L. 1. c. 38. n. 46. seqq. Dn. Carpzo-v. JPr. Cons. L. 1. d. 38. n. 7. Merckelb. ap. Klock. Tom. 1. cons. 14. n. 28. seqq. & ipse Klock. d. Tom. 1. consil. 50. n. 257.* Necessè tamen est, ut hæc consuetudo legitime sit præscripta. *c. fin. X. de consuet. Schulz. Syn. J. de J. N. G. & C. lit. d. Dn. Carpz. p. 2. c. 3. d. 21. seq. Dn. Strauch. Diff. Justin. 1. aph. 10.* Constat autem consuetudinem ritè valituram rationabilem debere esse, *vid. Myns. c. 6. obs. 41. n. 3. Sutholt. Diff. 1. aph. 90. Dn. Struv. JPr. L. 1. tit. 2. aph. 13.* quæritur ergò, an ejusmodi quoq; rationabilitate nitatur? Videtur equidem quod non, cum currat contra jus commune, quò Jurisdictio Ecclesiastica penes Principes existit, quam agnoscere tenentur Civitates Municipales. *vid. Gail. L. 2. obs. 125. n. 11.* Verum enim verò cum irrationabilitas consuetudinis non tam ex pugna cum jure humano, quam divino & naturali bonoq; publico aestimetur, *c. fin. X. de consuet. c. 12. de probat. can. 7. distinct. VIII.* hoc tamen exinde non violetur, neq; iis juribus ullibi solis Principibus cum exclusione inferiorum Magistratuum Jurisdictio Ecclesiastica reservetur, adeoq; ex Legibus humanis tantum Civitates ei subsint,



contrà quas, ex communi Dd. dogmate, consuetudo induci potest. *Wesenb. ad ff. tit. de LL. n. 9. vers. materia circa quam. Schneid. ad §. 9. J. de J. N. G. §. C. n. 4. Myns. d. l. n. 9. Dn. Carpz. JPr. Conf. L. 2. def. 8. n. 10. seqq. §. JPr. For. p. 3. c. 38. d. 19. n. 4. §. p. 4. c. 9. d. 6. Dn. Eckolt. ad ff. tit. de LL. §. 22. num. 2.* hinc & illa pro irrationabili minimè habenda erit. Quamquam ea circa unum actum Ecclesiasticum introducta ad alios non sit extendenda, cum consuetudo stricti juris sit, adeòq; strictissimè quoq; interpretanda. *Cothmann. vol. 5. Resp. 1. n. 470. seqq. Dn. Carpz. JPr. Conf. L. 2. d. 344. n. 13. §. JPr. For. p. 2. c. 44. d. 12. n. 3.*

X. IV. Deniq; acquiritur Jurisdictio Ecclesiastica *Occupatione*, modò tam in Pace Religiosa quàm Osna-brugensi probatò. Quicquid ergò Jurisdictionis Ecclesiasticæ Magistratus minores ante Pacificationem Religiosam occupârunt, aut quâcunq; millesimi sexcentissimi vigesimi quarti anni parte habuerunt, illud ipsis per Pacificationes tum relictum, tum confirmatum est, adeò ut in ejus quietâ possessione permanere jubeantur. *R. J. de ann. 1555. §. damit auch. Instr. Pac. art. V. §. 12. ibi: solâ deniq; observantiâ. Cothmann. vol. 4. Resp. 33. num. 39. seqq. Matth. Steph. de Jurisd. L. 3. p. 1. c. 14. n. 122. Mev. p. 2. decis. 305. §. ad Jus Lubec. quæst. præl. 3. n. 22. §. L. 1. tit. 4. in addit.*

XI. Illud adhuc notandum, utrum Jurisdictio Ecclesiastica per unum horum modorum quæsitâ, cumulativè, an privativè acquisita intelligatur? Et sanè de eâ Privilegiò vel Præscriptione quæsitâ posterius dicendum est, *cap. auditis. 15. X. de præscript.* quoniam privilegium ob benè merita concessum in contractum transit, *Barbos. Locuplet. L. XIV. c. 83. ap. 27.* eidemq; & pacto præscriptio æquiparatur, *Balb. de præscript. p. 1. q. 6. n. 7. Matth. Stephan.*

Stephan. de Jurisd. L. I. c. 38. n. 38. ut adeò jurisdictio per
 modum contractus quæsitã censeatur, qualis semper
 rivativè est interpretanda, juxta Thom. Michaël. ap. Klock.
 Tom. I. conf. 29. n. 177. seqq. Et ipsum Klock. Tom. I. conf. 50.
 n. 231. seqq. Et n. 242. Brunnem. in Proc. Civil. c. 28. n. 120.
 Nec aliud de Jurisdictione Ecclesiastica per Occupatio-
 nem aut Consuetudinem quæsitã dicendum videtur,
 cum consuetudinis & privilegii par censeatur ratio, c. 26.
 §. præterea. de V. S. Barbof. Locuplet. d. l. ax. 2. etiam in
 materiã jurisdictionis. c. cum contingat. 13. X. de for. com-
 pet. add. Hillig. ad Donell. L. 17. c. 9. n. Mynsing. c. 6. obs. 99.
 Zang. de Except. p. 2. c. 1. n. 161. seqq. Dn. Carpz. p. 1. c. 27.
 d. 11. Dn. Strauch. Diss. Justin. XX. aph. 10. Hinc contra
 Civitates Jurisdictionem Ecclesiasticam eã ratione ha-
 bentes præventio induci, aut in primã instantia Supe-
 rior adiri regulariter nequit. vid. Hillig. ad Donell. d. l.
 Zang. de Except. p. 2. c. 3. n. 5. Et 12. Matth. Stephan. d. Tr.
 L. I. c. 26. n. 18. Nec magis Superior causas Ecclesiasticas
 coram Civitatum judicibus pendentes avocare valet.
 Matth. Steph. d. Tr. L. 3. c. 15. n. 8. seq. Dn. Carpzo v. L. 2.
 Resp. 20. n. 9. seqq. Et Pr. Conf. L. 3. d. 14. n. 7. Brunnem. d. l.
 Admittitur tamen ad eundem à sententiis ab his latis ap-
 pellatio, Zang. d. l. n. 12. Matth. Steph. d. l. n. 13. modò in
 causis istis non expressè prohibeatur, Dn. Eckolt. ad ff. tit.
 de appell. §. 8. Dn. Nicol. in Process. p. 2. c. 12. n. 3. quales ta-
 men non sunt matrimoniales. cap. 39. X. de appell. c. 4. X. de
 spons. duor. Dn. Carpz. p. 3. dec. 240. Et in Proc. tit. 18. art. 2.
 n. 11. seqq. Dn. Brunnem. d. l. n. 13. Vid. Mev. p. 2. decis. 264.
 Quod ipsum de appellatione dictum ad Civitates quoq;
 Jurisdictionem Ecclesiasticam occupationis titulò possi-
 dentes porrigendum esse arbitror; nisi fortè Statui Catho-
 lico subsint, ad quem appellatio dirigenda foret. vid.
 Instr.

*Instr. Pac. art. V. §. 12. cùm permisso liberò Religionis exercitiò permissum quoq; censeatur omne id, sine quò illud obtineri nequit, arg. l. 2. ff. de jurisd. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 5. in fin. ne id, quod unâ viâ concessum ei alterâ rursus auferatur, arg. l. 16. de sponsal. c. 84. de R. in VI. quod facillè contingeret, cùm in causis suis sin-
dubiò ex meris Pontificiorum placitis judicarentur. Sy-
ring. de Pac. Relig. th. 26.*

Sed hæc sufficiant de Capacitate Civitatum Muni-
cipalium Jurisdictionis Ecclesiasticæ, eamque acqui-
rendi Modis dixisse. Plura quidem materiæ dignitas
postulâset, nisi in medium afferenda Disputationis
modum nimis excessura fuissent. Ergò metuendum
exinde aliorum fastidium inhibuit conatum. Fortâssis
jam tùm in his paucis lapsus deprehendentur haud
pauci. Sed B. L. humanæ conditionis memor beni-
gniore candore eos emendabis. Tibi verò, DEUS opti-
me, pro præstitò mihi auxiliò gratiâq; longè maximâ
gratias persolvo sempiternas!


F I N I S.

COROLLARIA.

- I. *Electorum originis ad tempora magni interregni relatio præ cæteris vero videtur simillima.*
- II. *Calendarium Gregorianum justè recusarunt Protestan-
tes.*
- III. *Tutor ab Electore in testamento filio datus an excludat
legitimum? Quæritur.*
- IV. *Jurisdictio Ecclesiastica & Secularis ab eòdem judice ex-
erceri potest.*
- V. *Creditor & debitor nec in testamento tutor dari potest.*
- VI. *Actio ex juramento promissoriò non datur.*








ULB Halle
006 558 399


3



VD17







1682 13a 12

CREMENTUM!
 INAUGURALIS
 ATE CIVI-
 ICIPALIIUM
 NIS ECCLESI-
 CÆ,
 RENDI MODIS,
 DRUM ORDINIS
 fu,
 TDORFINA
 DC. LXXVII.
 ioni submisfa
 O HENRICI,
 usatō.
 MEYERI,
 ypogr.

116